

- 1.) Fides Suetica.
- 2.) Pöpstliche Form und Staube.
- 3.) Brief Georgs Jacobi.
- 4.) Borussiae Regis Declaratio.
- 5.) Danzigar Constitutio.
- 6.) Pöpstliche Aina Carländers an seinen Fürst.
- 7.) Status causae pro Klopman contra Consil. suprem.
- 8.) Nota sub Minister Simolis.
- 9.) Antwort auf diese Nota.
- 10.) Trautendorffs sub Dörfstigs Legation auf diese Nota.
- 11.) Quod in recenti Senatus ~~confilio~~ Consulto, Confiliario.
- 12.) Aina Georgs von Japan.
- ~~13.) Memorandum.~~
- 13.) Remarques d'un Courlandois.
- 14.) Memoriale, ~~latine~~
- 15.) Antwort auf die von einem ungenannten Fürsten.
- 16.) Copia der Briefe sub Legation von Medem.
- 17.) Pro informatione.
- 18.) Gravamina publica.
- 19.) Status causae pro ordine equestri.
- 20.) Status causae ex parte Instigatorum.
- 21.) Dilucidatio declarationis.
- 22.) Exceptio facti.
- 23.) Declaratio pro generosa Nobilitate.
- 24.) Declaratio von Fürst von Vitterhofe.
- 25.) Materie und Anmerkungen.
- 26.) Uterior expositio, latine, ~~in~~ ~~latine~~.
- 27.) Uterior expositio, latine.
- 27.) Textus ex jurebus carlandicis.

Dießer Band muß ~~sein~~ ~~sein~~  
geflagen werden.

1.

# FIDES SVETICA

Sive

## PLENARIA DEDUCTIO

Cum annexis verisimilis documentis, quotquot eorū  
hactenū in promptu haberi potuerunt

In quā

Omnibus, altioris, inferiorisq; condi-  
tionis hominibus

PROCESSVS ISTE INEXCVSABILIS

A Svecis, imprimis Campi Marschallo

# ROBERTO DUGLASSO

Adversus

*Illustrissimum ac Celsissimum Principem,  
ac Dominum*

# DNUM. JACOBUM

In Livoniā, Curlandiæ, ac Semigalliæ  
DUCEM,

Manu Regiā, ac Sigillo, ejusdemq; Generalitatis jurejurando sancitis,  
& tam verbis, quam in scripturā datis Assicura-  
tionibus, posthabitis

Anno 1658.

Et institutus planè

# FIDE SVETICA

*Adornatus*

Ob oculos ponitur.



---

ANNO M DC LX.



**Q**uantum operæ, studii, sumptuumq; Illustrissimus Curlandix Dux à tempore suscepti Regiminis, in utroq; Poloniæ & Sueciæ Regno, ad præscriptum Indutiærum Stumbsdorficarum ad annos viginti sex pactarum (in quibus ipsi munus Pacis procuratorium impositum erat) ad reasumendos Pacis tractatus contulerit, cuius notum est, possuntq; hoc ipsum tot sedulo, hinc inde emisæ literæ, acta & actitata, quæ manibus utriusq; partis teruntur, sufficienter restari, ac demonstrare, cum tandem eò res esset deducta, ut uterq; Serenissimorum Principaliū Commissarios suos mandatis instructos binis vicibus Lubecam ablegaret. Interim autem cum animadvertetur, determinatos hosce tractatus exitum à spe alienum habituros esse, præsertim cum conventus, secunda quoq; vice institutus, nihil operaretur, & à parte Sueticâ ulterioris congressus, instituendeq; Pacificationis spes nulla affulgeret, sed verba ea in prædictis Pactis Stumbsdorfianis; Quod si Pacis Tractatus, semel atq; iterum non successerint, &c. in sensum valde sinistram torquerentur, prætereaq; multæ aliæ difficultates obijcerentur; id circò satis superq; colligere erat, tempus Induciarum à Suecorum parte ad finem usq; non duraturum, & sic omnia in cruentum potius bellum exarsura, quam optatam Pacem secururam esse. Rebus igitur sic stantibus sollicitus Dux pernicioso huic malo bellico occurrere, exemploq; Antecessoris sui Laudatissimi, sibi ac Ducatui suo, de beneficio Neutralitatis in tempore prospicere desideravit. Quare misso in Sueciam Legato à Serenissimâ Regina CHRISTINA, ac universis Regni Suetici Senatoribus, Neutralitatem in omnem eventum summopere rogari curavit, quæ etiam in solenni formâ, & quidem ultra quam petebatur, nimirum Neutralitas perpetua à præmemoratâ Regina, universisq; Dominis Senatoribus Duci concessa, & collata est, prout sub lit. A in subsequenti-  
bibus videre est.

Postquam verò, proh dolor! illud, quod quivis verebatur, patef-  
eret, ac res in apertum bellum erumperet, modernus Sueciæ Rex scriptis  
ad Ducem literis, de dato Holmiæ die 1 Junii, Anno 1655. erga eundem  
affectus sui bonam propensionem, firmissimè ei assecuravit, quemadmo-  
dum ex lit. B. constat.

Post ea Comes Magnus Gabriel de la Gardie cum aliquot militum  
millibus ex Sueciâ Rigam advenit, ac directâ in Lithuaniam expeditione  
suâ, Duci protinus protectionem contra potentiam Moscorum, in Polo-  
niam, ac Lithuaniam confecto Exercitu Lithuanico irrumpentium, optu-  
lit, prætereaq; varia, ac difficilia, nimirum numerationem ingentis pecu-  
niæ summæ, naves aliquot, traditionem Arcis Bauscensis, aliâq; absurda  
indefinenter affectavit: Duce autem ab eâ, quam opposuerat, allegatâ  
jam Neutralitate ullo se moveri modo nolente, res tandem inter eos mo-  
do, quo fieri potuit, optimo in omnibus punctis est transacta, Excellen-  
tissimusq; Dominus Comes Magnus in declaratione Duci ratione Neu-  
tralitatis ultimum factâ (prout ex lit. C apparet) contentus perstitit, re-  
misissis tamen pro Ratificatione ad Regem Majestatem Sueciæ, omnibus,  
ac dilatione à 13 Septemb. Anni 1655. ad ultimam usq; Octobris, ad hoc  
concessâ: Constat hoc ex Transactione Paswollensi, quæ tam in Cancel-  
lariâ Ducali, quam apud partem adversam invenitur, jam autem in prom-  
ptu haberi nequit.

Secundum ea Dux per Legatum suum Transactionem illam ratifi-  
candam præmissâ debitâ requisitione Regi exhiberi fecit, quæ etiam Ra-  
tificatio die 14 Novemb. Anni 1655. ad Bielkium impetrata est, uti ver-  
ba ejusdem Instrumenti sub lit. D. pluribus innunt.

Aucto autem per Poloniam, Lithuaniam, Samogitiam, & Prussi-  
am progressu bellico Suecorum, Baro Skyt Legatus Sueticus ad Ducem  
rediens simpliciter expetere præsumpsit, ut Dux una cum sobditis, eodem,  
quo Ræ. Mti., atq; incluræ Coronæ Polonicæ, hætenus devinctus esset,  
jure, ad Regem Sueciæ accederet, verum enim verò, ut ut satis diu instar-  
ret, Ducem tamen promissionibus, persuasionibus, ac comminationibus  
suis nullatenus ad hoc adducere potuit, sed cum præmemoratus Dux  
Neutralitati à Reginâ CHRISTINA ex singulari gratiâ concessæ rursùm  
initeretur, non tantum res in priori statu permansit, sed & Excellentissi-  
mus Dominus Comes Magnus & Baro Skyt urserunt, ut Dux Districtum

Pilten-

Piltensem, quem Sueci primo statim bello occuparant, pro oblatione certæ pecuniæ summæ, sibi acquireret, quo hac ratione Districtus iste in Neutralitate tenore allegati Instrumenti Neutralitatis permanens tam contra Polonos, quam imminens Moscum conservaretur.

Cum jam prædictus Districtus quasi in visceribus Ducatus jaceat, inq; Instrumento Neutralitatis expressè comprehensus sit, ideò Dux consideratis considerandis cum Domino Comite Magno, tanquam Plenipotentiaro, prævio tamen Regiæ Majestatis Polonicæ elementissimè delato consensu, in negotium hoc se dimisit, eoq; ad certum modum transacto, possessionem Districtus realiter apprehendit, eumq; beneficio sæpius memoratæ Neutralitatis contra Polonos, ac Moscovitas defendit, & servavit.

Interim Anno 1657 Serenissima Princeps, ac Domina, Domina Loyfa Charlotta, nata Princeps ex Stemmate Electorali Marchionum Brandenburgicorum &c. &c. in Livonia, Curlandiæ, ac Semigalliæ Dux, nominati Ducis Conjux, à Domino Fratrem suo, Serenissimo Principe ac Domino, Domino FRIDERICO WILHELMO Marchione Brandenburgico, Sacri Romani Imperii Archicamerario, & electore &c. &c. diu, multumq; rogabatur, ut Regiomontum se conferens Electoralem suam Celsitudinem ante ipsius in Marchiam Brandenburgensem discessum, pro mutuo inter eos sanguinis nexu, amicè inviseret.

Jam, quamvis prædicta Serenissima Ducissa summo (uti facillè cogitari potest) Dominum fratrem, uti unicum, ita charissimum, videndi, ejusq; colloctionibus fruendi, desiderio duceretur; noluit tamen hoc ipso Sueticæ se parti suspectam reddere, præsertim cum jam tum temporis Suecorum malevolentia erga Electoralem suam Serenitatem apparuerit; datis igitur ad Dominum Comitem Magnum tum temporis per Livoniam Generalissimum literis, consilium ejus super hanc rem exquirebat; memoratus autem Dominus Comes respondit, nihil esse, quod Celsitudo sua extimesceret, aggredereur profectionem suam in nomine Domini; quemadmodum hoc literis ipsius (quæ jam ad manus non sunt) satis demonstrari posset. Hisce mota Celsitudo sua itineri se in Borussia dedit, & feliciter Regiomontum advenit. Sub hoc tempore venerat quoque Regiomontum Comes Schlippenbachius, ex quo varii molesti, atq; maximæ considerationis discursus audiebantur, qui redeunte felici-

feliciter Ducis sã silentio non involvendi, sed Duci referendi erant. Hic rem istam non usq; adeo leviter expendens, necessarium, consultumq; esse duxit, Legatum quendam ad Regem Wisnariam ablegare, iterum sciscitatum, quid spei, ac fiducia à Regia sua Majestate expectandum, Legato tunc responsio admodum grata data est, uti literæ Regiæ de dato Wisnariæ docent, ut & Relatio Legati, ubi verba sub lit. E. hac de re reperiuntur. Mox avvocato posthac Comite Magno, à Regiâ Majestate, ac re inter eos Moscumq; maximâ ex parte sedatâ, post discessum ex Livoniâ Generalis Campiductoris Lithuanici inferioris, Domini Gonzewski, Colonellus Igelstrom, & Residens Sueticus Krausius, à Gubernatore Rigenfi, & Generali Locum repente Helmfeldio ad Ducem missi, ex speciali Regis sui mandato proposuere: quandoquidem Dux Exercitii Lithuanico in Livoniam eunti, ad Bausceburgum, Rigamq; magnum pecuniæ, commaratusq; quantitatem dari fecisset, atq; illud ipsis quoq; jure Neutralitatis deberetur, idcirco hoc ipsum iis pari quoq; ratione, & quidem pro Exercitu Regio per maria adventanti exhibendum esse.

Quid hic aliud, Neutralitatis retinendæ causâ, à Duce præstandum veniebat, quam ut consilio, consensuq; præsentium ex Nobilitate, cum prædicto Generali locum tenente ejus rei gratiâ, certo modo pacisceretur, uti literæ ejus, & asscuratio sub lit. F. pluribus testantur. Terminus hic ad præstandum illud, quod promissum erat, destinatus, nondû instabat, ecce præstò erat Campiductor Sueticus Comes Duglassus, qui Wolmariâ, & Roneburgo in Livoniâ recuperatis, & traducto per Dunam Exercitu sibi commisso directoq; in Lithuaniam itinere, postulabat, ut Illustma. sua Celsitudo Commissarios suos constitueret, qui progredientibus copiis præsentia suâ damnum omne, ac noxam à Ducatu declinarent: rogabatq; simul pro Exercitu com meatum exhiberi, qui etiam, nullâ habitâ ratione ejus, quod jam Helmfeldio secundum pacta conventa traditum fuerat concedebatur, Duglasso tunc iterum, atq; iterum magna quæq; jurejurando sanctè promittente. Sed vix extra fines Curlandiæ in Lithuaniam processerat, ecce protinus in Ducatum Curlandiæ rediens primò ad prædium Montium, paucis autem post diebus ad Doblenum, confedit.

Hoc viso Dux subditorum suorum percipiens ruinam, ac damnum, facileq; dijudicans Duglassum ulterius progressurum esse, misit ad eundem

dem Legatum, & de novo hocce ductandi Exercitum modo, contra Transitum quippe cum Excellentissimo Comite Magno, & Campiductore Lithuanico Domini Gonziowski crebra Ducis interpositione determinatum ac manu sigilloq; utriusq; roboratum, expresse pugnante, graviter conquestus est, fidem Regiam manu Sigilloq; munitam, ut & prædictam Transactionem cum Comite Magno ratione Transitus institutam, atq; Helmfeldi Asssecurationem allegando petendoq; summoperè, ut ex Ducatu rursum discederet.

Adhæc Duglassus civiliter admodum excusationem prætexens promisit hæc omnia se protinus mutaturum esse? Interim autem deducto inde Exercitu, subter ipsam Mitaviam, sedem ac fortalitium Ducis procedens, eam eminus circumcirca quasi cinxit. Quamobrem Dux cum Conjuge charissima uterum tunc gerente non parum terrefactus, misis confestim ad Duglassum quibusdam Consiliariorum suorum, de hisce omnibus maximas querelas habuit, orans ut locum istum relinqueret, piamq; Ducissam, in tale ejus statu, non amplius contristaretur, quod verò in nullam aliam cecidit utilitatis rationem, quam quod Duglassus denuò frumenti, pecuniæq; quantitatem magnam, cum primis fortalitium Bauscense sibi tradi, per Igelströmium, Krausiumq; delegatos, poposcerit. Responderi Duglasso Dux mandavit, se super hoc, quod Bausceburgum attineret, jam dum cum Excellentissimo Domino Comite Magno, tanquam Generalissimo per Livoniam transegisse illudq; (uti supra narratum est) à Regiâ Majestate ratihabutum esse, nec velle, nec posse se à pactis istis, ratificatione suffultis, recedere, ne dum fortalitium istud ei tradere. Destitit tum Duglassus à postulato hocce, Arcem Bauscensem concernente, frumenti autem, ac pecuniæ certa summa, distincto terminorum spacio offerenda, utut moles hæc Ducem, ejusq; subditos pergraviter vrserit, (siquidem paulò antè ingens quantitas Helmfeldio promissa, & datâ fuerat) in hac extremitate (ubi satius erat ex duobus malis minus eligere) concessa est. E contra Dux à Duglasso cautionem de indemnitate in scriptis obtinuit, quo ad Neutralitatem de novo asssecuratus, quod lit G. denotat.

His ita peractis Duglassus sub prætextu Asssecurationis suæ: pontones, lintres, ac scaphas, quotquot ad Arcem urbemq; Mitaviensem aederant, omnes, militares copias eò commodius celeriusq; transvehendi causa,

causa, instanter postulabat; quibus concessis. partem aliquam copiarum trajecit, partem etiam Rigam dimisit, simulando, quasi illuc cum Exercitu universo, uti jurejurando sanctè promiserat, iturus esset; interim per nonnullos Officiales Ducem rogari curavit, ut ægrotis suis militibus concederet facultatem Schlockium versus (oppidulum est ad fluvium A. dictum, situm, quatuor præter propter milliaria Mitaviâ distans) secundum flumen summo silentio, absq; retardatione Scaphis subnoctera Arcem prætereundi, quod etiam Dux, quamvis rei huic parum fideret, tot tamen delagatorum Juramentis, datâq; à Duglasso Assècuratione, firmatus, fieri passus est. Sed ipsa hac nocte, tertiam inter, quartamq; horas, die 10 Octobris Duglassus per ægrotos suos putaticios Arcem Ducalem in vadere, eamq; contra fidem datam, ac juratam, præstitamq; Securitatem ante occupari jubet. quàm illud à quopiam inaudiretur vel defensio parari posset, ipsimet inter primos semiscente. Dormiverat adhuc securè Princeps optimus, cum milites Suetici conclavia, ubi liberi ejus habitabant, jam deprædari cæpissent, non solum obvia quæq; diripientes, sed & liberos Ducales interulis exuentes. Camera etiam Ducis, in qua vasa argentea reservabantur, ut & Consiliariorum habitationes despoliabantur, quo tumultu expergefactus Dux ad defensionem profiliit, sed serò admodùm jam enim vexilla Suetica in Vallum defixa, tormenta in Domum, ubi Dux ac Ducissa degebant, directa, omnesq; loci, & anguli milite Suetico repleti erant, urbs pariter ipsa expugnabatur, quolibet ex literis istis Assècutoris securitatem sibi promittente. Rebus hunc in modùm peractis, Duglassus duos Colonellos ad Ducem mittens significari jussit, ne ad hoc obstupesceret, aut illud ipsi imputaret, mandato Regis insperatò accepto, ad hoc se adactum esse, nec tamen aut Ducem, aut subditos ejus, tam quod Personas eorum quam bona, aliquid damni passuros, milites enim salva guardiales (sive præfidiarios) declinandì periculi causa, se cuivis concessurum. Paulò etiam post ipsemet ad Ducem advolabat, ac ab eodem verbis, eam ab rem, durioribus acceptus, pro excusando Rege suo nullas alias, quam sequentes, omniq; fundamento destitutas causas adferre potuit. 1. Quod Dux Moscum contra Sveciæ Regem, concitaverit. 2. Et cum primis quod Serenissima ejus Conjux Electorem Brandeburgicùm ad desciscendum à partibus Svecorum præsens ipsa impulerit. 3. Quod copijs Lithuanicis Auxilia, commeatus ac pecunia

cunia subministrata fuerint, quibus adjunctæ in Livoniam iverunt. 4. Quod Dux allaboraverit Protectorē Angliæ à Svecorum causa sejungere. Jam quidem verum est, aliquid victualiorum nomine Exercitui Lithuanico, postquā Sveci à Provinciâ magnum eorum quantitatem multoties extorsissent, pari ratione exhibitum esse, Transitus autem iste cum Excellentissimo Domino Comite Magno designatus, & utrinq; determinatus, de quo lit. H, notitiam aliquam suppeditare potest (nam Instrumentum ipsum Originale ad manus jam non est, cum Cancellaria Ducalis omnis Rigæ detineatur) ad amussim diligenter observatus est. Reliquæ insimulationes propter earundem futilitatem indignæ quidem sunt, ut tempus in iisdem refutandis consumatur, præsertim cum ipse Dux ad easdem protinus taliter responderit, ut earum Duglassum puduerit, ad alias causas typis publicis proximè prodituras confugientem, nihil tamen eorum, præter private quadam scripta Svetica emanavit, quæ autem intempestivi instar partus aeris impatiens, ab ijs ipsis confestim suppressa sunt; Sed tamē vir quidam cordatus hausta hæc ex aere puncta Svetica sub titulo, Defensio Ducis Curlandiæ: ex fundamento adeo subvertit, ut, usq; dum plura exierint, aliâ non opus sit refutatione.

Peraçto hocce, quo narratum est modo, scelere, Duglassus imposuit quoque Duci necessitatem demandandi Capitaneo Bauscensi, ut locum istum, non obstante quod (uti antè probatum est) jam destiterit à voluntate Arcis hujus adipiscendæ, sibi traderet; quod etiam in tantâ rerum, animorumq; perturbatione factum est, hisce tamen cum conditionibus expressis, ut tam Nobilitati, quam Civibus bona istuc asportatu absq; omni difficultate redderentur. Paucis post horis Duglassus per duos Colonellos, ac Camerarium quendam poposcit, ut bona eorum omnium, quæ vel indigenæ non essent, vel Neutralitate non comprehenderentur, in Arce illâ reservata, omnino extraderentur, secus indifferenter omnia publicari, ac auferri debere. Quid aliter hic agendum erat, quam summâ id necessitate exigente, ad voluntatem ejus expeditum esse, sperando futurum ut quisque suum, uti largitè promissum erat, liberaret. Sed Duglassus bona exterorum confestim abstulit, reliqua omnia, nimirum Consiliariorum, Ministrorum Principis, indigenarumq;, tam in Arce, quam urbe à Camerarijs Sveticis numerata, ac sigillata inventario conscribentur, clausis, ob signatisq; etiam in Arce Consiliariorum conclavibus.

ita ut nemini amplius aditus ad ea patuerit. Nihilominus tamen à Du-  
glasso prætexebatur nemini aliquid auferri, sed suum cuiq; tribui, nam  
obsignationem cistarum eum in finem factam esse, ut constaret, num for-  
san res quædam exterorum, ex Lithuanîâ nimirum, ijs contingerentur.  
Verum enim verò omnia, proh dolor! nullâ habitâ ratione eorum, ad  
quos spectabant, absq; respectu, & commiseratione impuberum, orpha-  
norumq; imò eorum quoq; qui Coronæ Svecicæ ante huc opera militaria  
præstiterant, & nunquam contra eam militarunt, tam Mitaviæ, quam  
Bausceburgi auferebantur, & pecunia nihilominus, tenore allegati jam  
contractus, cum Helmfeldio, & Duglasso celebrati, extorquebatur, non  
obstante, quod reciproca fides nec Duci, nec subditis ejus servata fuerit.

Duglassus hic Consiliarios Principis sæpè accersivit, desiderans, ut  
cum Duce deliberarent, consiliaq; de modo, ac ratione Ducatum conser-  
vandi, consociarent; Principis personam ac fortalitium, securitatis gra-  
tiâ, suæ se quidem potestati subjecisse, Provinciam autem atq; incolas  
Neutralitate se non privaturum, arriperent modò præsentia media se Regi  
huic tam Christiano, & Evangelico, optima quæq;, erga eos animo vol-  
venti, subjungendi, de protectione sufficienti nullatenus dubitantes. Re-  
ferenda hæc esse Principi à Consiliarijs regestum, ac hoc responsi allatum  
est: melius consilium dari non posse, quam ut Conventus quidem Pro-  
vincialis, publici congressus, deliberationis, ac consensus gratiâ, indice-  
tur. Sed ingrata hæc erat Duglasso declaratio, respondenti, non esse  
amplius in eorum potestate conventum aliquem indicere, aliâ se ingres-  
surum viâ, & (secundum tritum illud: sic volo, sic jubeo) tempori non  
inservientes ad obsequia compulsurum esse, & cum tandem animadverte-  
ret opinionem suam à nemine admitti, atq; Dominum æquè, ac Ministros  
subjectionem Svecicam recusare, vix expectare voluit, usq; dum lauda-  
rissima Ducissa, Deo auxiliante partum enixa esset, sed durante adhuc  
tempore quieti puerperarum destinato, (quod alias infimæ sortis mulieri-  
bus concedi solet) Ducem, ac Ducissam, liberosq; Ducales, gynæceum,  
ac Consiliarios, præter omnem expectationem aliquando de nocte capti-  
vos abduxisset, nisi dilatio modica ad sequentem usq; diem magnis preci-  
bus impetrata fuisset, qua illuscenente mox ipsemet in Arcem ascendens,  
barbarum, ac planè tyrannicum in modum deductionem hanc maturan-  
do, Ducem cum omni ejus familiâ, in celoces, ac lembos, quos hunc in  
finem

finem advexerant, ipse met collocavit, manóq; comitatum sclopetariorum  
 præsidio ( quorum nonnulli in eadem, quâ Dux cum suis divehebatur,  
 navi, accensis ignarijs funiculis sedebant, miseros hosce captivos depor-  
 tantes) dimisit. Consiliarij Ducis eorumq; uxores (quarum alia gravidæ  
 partui jam erant vicina, alia ex morbo laborabant) in scapham omnes  
 conjecti, relictis post se liberis, ac famulitio, magno cum dolore, gemituq;  
 sequi necesse habuerunt. Præfecti, militesq; à tergo, & fronte cum na-  
 viculis suis præstò ad erant, familiam hanc Ducalem, ejusq; Consiliarios,  
 aliosq; tam Nobilitaris, quàm Civici status ministros quasi per trium-  
 phum Duglassianæ istius, dolo, ac fraude ornatae victoriæ Mytoviensis,  
 Rigam deducentes. Arx interim, & urbs, ut & ædes Consiliariorum  
 militibus Syeticis ad prædam relinquebantur. Et notandum omnino  
 est, quod ingruente vesperâ, liberisq; Ducalibus, inprimis recens nato,  
 duarum vix hebdomadam infantulo, algore ex aquâ correptis, ipsoq;  
 Duce, ut appellerent, ac in proximo ad fluvium sito prædio ejus  
 calorís perfruendi causâ diverterent efflagitante, vix illud vel ma-  
 ximis precibus obtineri potuerit. Sed & appetente nocte, Ducissa  
 ex aquarum incommoditate ægra, atq; marore animi macerata, su-  
 mis propter Deum precibus orabat, ut sibi pernoctandi ibidem facul-  
 tas concederetur, hoc autem ab hominibus istis, reverentiam omnem,  
 ac misericordiam exventibus, iterque istud festinando urgentibus  
 impetrari non potuit. Duglassus tamen Consiliarios Ducis per nuncium  
 repente revocavit, significans, esse aliquid, quod necessariò cum ipsis con-  
 ferret; Hi quamvis libenter ad suos post se relictos regrederentur, nihil  
 tamen luctuosius ijs accidere potuit, quam Dominum suum, adeò cha-  
 rum tum temporis deserere. Revertans Mitaviam, Duglassus, petitâ ad-  
 eundi ipsum copiâ multos post dies præterfluxos, in Arcem (ubi jam do-  
 micilia Ducis cum Comitissâ suâ occupaverat) tandem accersivit, animi  
 sui dolorem ex deductione Personarum Ducalium, Crocodyli instar, mul-  
 tis verbis testificans, addiditq; in ipso Principe culpam residere, utpotè  
 tam obstinato, ac meliora apprehendere nolente: expetiit quoq; rur-  
 sum à Consiliarijs, ut de juvando Principe, conservandoq; Ducatu, ratio-  
 nem inirent, Ad quod responderunt, meliorem se, aliumq; modum  
 nescire, quam ut Exercitus uterq; ( Dominus enim Komorovius cum co-  
 pijs Lithuanicis ad prædium Montium, tria milliaria Mitaviâ distans,  
 confederat) Ducatu exiret, quo facto, de victualibus utriq; præstandis,

eam utroq; paciscendum, ac super hoc, opinionem prius Duglassi percipiendam, postea ad Dominum Komorovium eundem esse, tentandumq;, quousq;, ac quatenus negotium hocce transigi possit, quoniam vero illud absq; scitu, & approbatione Ducis, ac Domini sui elementissimi effectui dare non valent prætereaq; profecturi ad Dominum Komorovium auctoritate Ducis prius instruendi essent; proindè petere se, ut sibi ad Dominum suum eundè licentia concedatur. Placuerunt hæc Duglasso; sed Consiliarijs abiturantibus, misit ad eosdem intimum suum Consiliarium, patriaq; proditorem Theodorum Klüver, aliàs Kerstens dictum, indicans, non posse se permittere, ut omnes Rigam proficiscantur, sed per quosdam ex numero eorum Principi exponerent quid sentirent; quod ipsis non poterat non placere. Constituit tùm Princeps ad hoc Cancellarium, ac Provinciæ Mareſchallum, literis credentialibus, ac instructione ad eos transmissis. Hisce Domini Consiliarij ad Dominum Komorovium se conferentes, miserabilem ipsi Domini sui statum, & quam opinionem, deliberando eodem, servandoq; Ducatu forent, quo par est modo explicuerunt, nimirum, ut uterq; Exercitus Ducatu exiret, ac aliquid certi victualiorum nomine utriq; parti exhibendorum, determinare tur. Dominus Komorovius miserandam Principis vicem summoperè doluit, maximè exoptans, ut eidem subservire posset: quod propositionem attineret, iturum, se cùm Exercitu sibi demandato ex Ducatu libentissime, & conservatione Provinciæ nihil libentius se expetere, sed Campi Marschallus Duglassus familiam prius Ducalem cum omnibus ministris, uti eam abduxisset, absq; ullâ mora Mytaviam reduceret, Provinciâ exiret, bona rapta restitueret, fortalitia redderet, re tormentariâ, armisq; omnibus, quotquot in Arce invenisset, retrò delictis, deniq;, quod Provincia Duglasso, ejusq; Exercitui datura esset, illud omne sibi suisq; copijs exhiberetur. Hæc ultima erat Domini Komorovij sententia, quam Domini Consiliarij, denegatâ ipsis ad Dominum suum remigrandi, gesta; eidem referendi libertate, Duglasso reversi exponebant. Sed displicebant hæc palato Duglassi, mentem suam hunc tandem in modum in scriptis declarantis: 1. Principem se restituere non posse. 2. Nec fortalitia jam occupata se redditurum, sed ea potius præsidio necessario muniturum. 3. Cum reliquis copijs Rigam se iturum, & Provinciam eatenus ad tres menses relicturum, sed discedente prius Komorovio, ac 4. incolis certam pecu-

pecuniæ, frumentiq; quantitatem (summam hæc incredibilem, atq; impossibilem excedebat) spacio duarum hebdomadum Rigam aduentibus; 7. Nihilominus præsidia omni re ad victum necessariâ sustentanda esse.

Domini Consiliarij animadvertentes omnia dolo, ac fraude Polonos ex Ducatu eliciendi, & Nobilitatem ab ijs separandi causâ, agi, rei huic amplius se immiscere noluerunt, sed supercedendo ei, causam Deo commiserunt. Duglassus ut vidit Dominos Consiliarios nec opinionioni suæ præconceptæ assentiri, nec intentiones suas, vel ipsosmet Svecicam subjectionem recusando, vel alios ad recognoscendum eam non adhortando, promovere velle, per Edicta tum sua Nobiles (quos atudacter perduelles vocabat) multoties Mitaviam adcitavit, ut sub pæna sanguinis comparerent, illud, quod nomine Regis sui proponeret, audituri, & ad hoc cathgoricè responsuri. Propositionis hujus, hæc (uti certò compertum est) erat summa, ut Nobilitas prævio jurejurando Regi Sveciæ homagium præstaret, armaq; contra Dominum suum naturalem capefferent. Sed nemo erat, qui obsequeretur, ut ut vehementia satis essent hæc Edicta, quippe in quibus ferrum, ac flamma adversus inobedientes denunciabatur, ac, rusticis contra Dominos suos mandato incitatis, maximâ in Deum, hominesq; impietate, libera facultas concedebatur, Dominos suos ad arbitrinum Duglassi se non accomodantes trucidandi. Tandem nemine obediante, ac multo minus comparente, Sacerdotes innocentes (qui imprimis ad mandatum Duglassi preces in Ecclesijs usitatas, pro Majestate Polonicâ, Duceq; suo ad Deum directas immutare renuebant, ac impia, illa, cruentaq; Edicta ex suggestis promulgare, multoq; minus auditores suos ad subeundam servitutem Svecicam adhortari volebant) per milites inter ipsa sacra desuggestis deturbantur, ac ex ædibus sacris abrepti in carceres contrudebantur, imò nonnulli eorum bonis omnibus privati in miserrimum Exilium pellebantur.

Sed & Duglassus conceptâ magis, atq; magis in Dominos Consiliarios diffidentia, unguis tandem leoninos in eos, contextos, extendit, & quia in eâ omninò erat opinione, quasi Nobilium, ac sacerdotum pertinacia ab ijs foveretur, vigilibus eos custodiri curavit, conveniendi se invicem libertate penitus interclusâ, neq; alijs, quicunq; hi demum fuerint, aditus ad eos patuit, nisi consensu Commendantis super hoc prius impetrato.

Interdicebatur ijs templo, publicisq; sacris, ac exigebantur ab ijsdem detestabiles ejusmodi literæ Reversales, subscribendæ, in quibus Regi Sveciæ, fidelitatem, & obsequium, ad quævis Duglassi mandata promptum, promitterent, cum clausulâ hæc; ita eos Deus adjuvet, & sanctum ejus verbum. Sed recusabant hoc Domini Consiliarij constantissime, honestius esse, respondentes, ob fidelitatem captivari, quam in sceleratâ libertate vivere, canitiemq; suam virtute partam, detestando hoc perfidiæ, perjurijsq; crimine contaminare; datis quoq; ad eum literis, orabant, ne imposterum, talia postulando, molestiam ipsis adferret, sed durâ hæc custodia liberaret, aut ad minimum facultatem sacras ædes visitandi, verbumq; Dei audiendi præstaret. Sed hoc omninò ijs est denegatum multò arctiori postea custodia subsequente.

Interim Duci in Arce Rigensi captivo variæ molestiæ, acerbitates, ac injuriæ inferebantur, quinimò ipsius Cistæ (in quibus Arcana ejus aservata fuerunt) ex conclavî ejus, præsentem ipsemet, vi ablata, in ædes Gubernatoris deportabantur, omniaq; in ijs summâ cum diligentia scrupulosè peruestigabantur; Sed nihil horum invenerunt, quod abhorrentem hanc à Christianissimo, atq; hæcenus, inauditam, barbaricumq; crudelitatem excusaret, nihilominus tamen cistas eas Duci non reddiderunt, sed obsignatas in urbe deposuerunt. Vtrum jam documenta illa originalia, in hæc deductione allegatâ, pluresq; res aliæ, salutis Principis, ejusq; domini Ducali maximè conducibiles, ablatae sint, Deus noverit, tempus quoq; illud quondam revelabit.

Duglassus tamen interea Ducem integerrimum, ac innocentem, Conjugem ejus laudatissimam, omnemq; familiam Ducatem adeò persecutus est, ut honorificam eorum recordationem fieri, eorumq; miserriam conditionem precibus, atq; suspirijs ad Deum (quem afflicti subditi pro Magistratu suo fidelissimo profusis mille lachrymis sollicitabant) perferri noluerit, quemadmodum etiam sacerdotibus injungere non est veritus, ut Magistratum suum, à precationibus in Ecclesijs usitatis excluderent; postquam vero iisdem talia interdum contemnerent, pro Magistratu suo, Deo magis obediendo, quàm hominibus, vota ferentes, ecce satellites ejus, nimirum Fischbachus, alijq; ejusdem consortij, attente illud notarunt, ac pro crimine læsæ Majestatis reputare non erubuerunt, cum tamen salutarius ijs fuisset ex concionibus auditis septimum & octavum

Præcepta considerasse, & ad animum admisisse. Tandem Dux optimus, cum dulcissimâ Coniuge liberisq; ex custodia Rigenfi, relictis post se rebus omnibus, ad victum necessarijs, vilissimam navem conscendere, coactus aliò ulterius, (ignarus quorsum) rapiebatur, datumq; est hocce (uti procerto, & fideliter narratum est) Præfecto navis mandatum, ut si in Pyratas Ducem liberaturos incideret, igne in pulverem tormentarium coniecto innocuos hosce captivos in aerem elideret: mirum sanè nemini videretur, si ob immane hoc ac crudele propositum tellus ipsa fatisceret, talesq; mysanthropos in barathrum abriperet. Eadem quoq; fors in Dominos Consiliarios jam decernebatur, noluit tamen Deus miseræ huic Provinciæ, & innocenti Duci usq; adeò auxiliò deesse, sed fideles hosce Patriæ præfectos, aliasq; Personas nobiles absq; scitu quidem eorum, eo ipso, quo primùm in Arcem ad arctiorem custodiam, postea Rigam, & sic ulterius in Sveciam Babylonicam illam servitutis domum deducendi erant die, operâ, ac virtute Dni. Schwartzhofij Vice Colonelli, & Magistri Equitum Lubeckij (â Svecis Valentinus cæcus nominati) qui turmâ sexaginta præter Equitum, non attentâ tormentorum, sclopetorumq; explosione creberrimâ superatis fossis falloq;, ac trucidatis ducentis captisq; centum Svecis, Urbem Mytaviensem suâ hæc ratione potestatis fecerant, è Duglasi manibus eripuit, & liberavit. Quapropter Deo omnipotenti gratias meritò maximas indefinenter debebunt, & porrò liberationem innocentissimæ familiæ Ducalis, quantum in ijs firum erit, promovere studebunt.

Jam verò à parte Svecorum objici posset. 1. Pacta Generalitatis Svecicæ, variasq; illas Transactiones cum Duce institutas, (uti sub lit. C. F. G. allegatum est) in quibus Neutralitas prædicta Duci confirmata, omnisq; securitas promissa est, Regis sui ratificatione indignisse, quâ non subsequente, illum ad easdem amplius non obstringi. Sed responderetur ad hoc 1. Præallegatam illam, cum Dno. Comite Magno celebratam Transactionem, in quâ Neutralitas confirmata est, jam à Regia Majestate Svecicâ, sub dato Bielekij, die 14. Nov. Anno 1657. ratificatam, ac idcirco aliâ opus non fuisse, præsertim cum interim nulli alij tractatus, ad finem perducti, inter Regiam Majestatem, Ducemq; intercesserint, sed Neutralitas cum effectu in vigore suo nunquam non permanerit? 2. Et si Ratificatio Regia super scripta eorum dolosa expetenda fuisset, oportuisse tamen

tamen Duglassum, & Helmsfeldium seposita omni simulatione apertius cum Duce agere, ac pro consequendâ ratificatione certum aliquod tempus, ad exemplum Excellentissimi Domini Comitis Magni Gabrielis de la Gardie præfigere, quo casu Regia Majestas ejus rei gratia sollicitanda fuisset. Sed fraus, & dolus Duglassi evertit omnia, quippe vix aliquot dierum moram mox à tempore dati Instrumenti sui Assesurationis jam memoratæ, non interposuit, quinimò pridie ejus diei vesperi, postquam Dux missò ab eundem Provinciæ Marschallo, præcavere fecisset, ne quid periculi in se devolveretur, sed copiarum militares Rigam ducerentur, omniaq; uti transcriptum, & cautum esset, fideliter, & absq; omni fraude, servarentur, admodò ad pectus manu Diabolo se devovit, ac per omnia dejuravit, eam se Transactionem absq; ullo dolo servaturum, & cum Exercitu sub ipsam adhuc noctem Rigam festinaturum esse. Sed tamen Ducem contra fidem datam, ac promissam absq; ulla in Deum pietate sceleratè circumvenit, oppresit, spoliavit, Personasq; Ducales omnes nullo habito ætatis respectu captivas deduxit, uti jam pluribus supra memoratum est. Et quamvis Duglassus prætenderit, se, post datam à se Assesurationem, cum jam Rigam versus in viâ esset, aliud à Rege suo mandatum accepisse, ut tali Principem tractaret modo. Quæritur autem, annon Duglassum oportuerit Regem de Transactione hæc, quam cum Duce iniverat certiore prius reddidisse, & eòusq; promissa, fidemq;, suâ ipsius manu, ac sigillo roboratam, ex contractu uti virum honestum, decet, Duci servasse? Sed impossibile est, intra tam breve tempus aut, gesta ab eodem ad Regis notitiam pervenire, aut Duglassum à Rege responsum aliquod aut mandatum accipere potuisse, nisi id ope tabellarij cujusdam Lapponici per omnia æra perlatum fuerit, Interim mandatum Dei illud; non mentiaris proximo tuo, tanquam devotus Christianus Reformatus exactius observare debuisset. Porro ac, 2. à parte Svecorum, imprimis à Duglasso inferri posset, quasi Dux Neutralitatem nullam habuisset; Sed quæritur 1. Cur Duglassus in literis istis Assesurationis ipse fateatur, Ducem à se, in Neutralitate hæc hactenus concessâ, ulterius conservatum iri? & cur eam, docentibus Actis, Nobilitati servandam, multoties postea promiserit? 2. An ejusmodi Acta solennia, & diplomata Regia, unanimi consilio, scitu, consensuq; Procerum Regni concessa, & collata successorem simul ad præstationem illorum non-

obstringant? Ac porro 3. An verba ea: Re prius cum Senatoribus Regni nostri deliberatâ, eidem Illustrissimo Duci Curlandiæ, ejusq; Posteris Neutralitatem perpetuam sanctè observandis, pro Nobis successoribusq; Nostris, ex singulari Nostri Regiâ gratiâ indulsumus: cum effectu non sint intelligenda? Quilibet procul dubio Neutrarum partium studiosus dixerit, non minus successorem, quam alios omnes, vi juramenti sui in Coronatione præstiti, Antecessorum suorum Privilegijs, Decretis, Rescriptis, Pactis, ejusq; generis Actis solennibus, & sic pari quoq; modo Neutralitate hæc perpetuâ à Regina CHRISTINA data, tam de Jure, quam ex reverentia filiali (quam Regiæ huic (ob innumera in se collata beneficia debet) obligari. Regeri autem à parte Svecorum auditur, Neutralitatem hanc nullius esse valoris, ac momenti, quippè ab ipso moderno Rege nec concessam, nec confirmatam: Sed objectio hæc per se, tam est inepta, atq; insulsâ, ut nullo alio responso, quam jam dato digna sit; ac quodsi hoc pro Regulâ tenendum est: quod modernus Rex sub manus suæ subscriptione non contulit, aut confirmavit, illud est invalidum; sequetur omninò exindè Regem hunc neq; Instrumento Pacis inter Imperatorem Romanorum, & Coronam Svecicam erecto teneri, cum nondum tum temporis Rex fuerit, nec post ea ab eodem Confirmatio istius Instrumenti petita; ne dicam, quam Pomerania, Ducatus Megapolitanus, Brema, aliæq; Provinciæ, Civitates ac Communitates, ex Pactis, Transactionibus, Privilegijs, Indultis, & similibus Instrumentis, cum Regina Christina sancitis (quorum nullum ab hoc Rege subscriptum, aut confirmatum est) habituræ sint securitatem: Etposito, non verò concessio, Ducem Neutralitatis jus non habuisse, negari tamen non potest, Regem Sveciæ Ducem pro bono semper amico reputasse, prout hoc ipsum, tot ejus literæ, in quibus Ducem consanguineum, & Amicum charissimum nominat sufficienter comprobant, & multifaria illa egregia, responsa Legatis Ducis à prædicto Rege data testantur, quorum beneficio Dux obtentâ hæc, & per varios Actus confirmata Neutralitate fretus, in pace ac quiete huc usq; vixit. Undè autem tam subito causa est exorta, ob quam Principum optimus (qui erga Regem Sveciæ, ejusq; statum, Livonicum, tempore quoq; summæ necessitatis in omnibus, in quantum fides, atq; integritas inelyto Regi & Coronæ Poloniæ debita permisit, ita se gessit, ut gratia ipsi meritò referetur, quemadmodum sæpè memoratus Dominus Comes rei hujus testimonium satis sufficiens perhibere

potest) modo tam hostili, & plusquam barbarico tractari debuit. Hæcne Svetica illa est retributio meritorum, ac amici istius boni præmium? quæ ergo pœna delinquentis, aut hostis alicujus aperti major esse potest. Et quæritur ulterius non immeritò; annon oportuisset Regem Sveciæ (si causas hujus rei tam arduas habuerit) Duci priùs bellum denunciare, ac per clarigationem, secundum consuetudinem omnium gentium, ejusdem se hostem profiteri? Sed Politica Svetica respondet, Regem non esse mancipium promissorum suorum, eiq; quicquid liber, licere, proinde liberam eundem facultatem habuisse pacificum Ducem, usq; dum placuerit, spe bona ductandi, eundemq; quancumq; ei commodum visum fuerit, evertendi. Quousq; autem illud coram Deo, ac honesto mundo valeat, suo id loco relinquatur judicandum. Longè aliter Salomon docet, dicens: ne fabricator contra proximum tuum rem malam, qui confidet secure tecum. Qui felices rerum successus actiones has, Christiano homine indignas subsecuti fuerint, indè liquet, quod milites Svecici, quamvis in Provincia Curlandiæ, omnis generis frugibus refertissimam, irrupentes, frumenti ibidem, pecudum, pecuniæ, aliarumq; rerum abundantiam superfluam invenissent, omniaq; diripissent, primò statim, tempore fame Perierint, adeò, ut in urbe Mitaviensi non solum cæmeteria, sed & omnia fermè loca cadaveribus taliter repleta fuerint, ut propter intolerabilem foetorum, pestilens aer, & infectio quædam, proximo vere surrectura, pertimesceretur. Quapropter cadavera multa effossa extra urbem exportabantur. Deindè vix turma quædam Equitum exijt, quin à Polonis deleteretur, ac dubio procul omni, Svecici hi Heroes, eadem, quæ irruerant, facilitate, expulsi fuissent, si Poloni, quemadmodum inceperant, actiones suas contra Duglassum, parvâ ut ut militum manu instructi continuare potuissent. Verùm postquam Poloni propter Exercitum Moscoviticum, in Lithuaniam irruentem, propriam ditionem conservandi causâ retroire cogebantur, magnus hic Generalis, maxima quidem facinora peragere poterat, provinciam omnem, occupatis in eâ arcibus Ducalibus omnibus, ijsq; fortiter munitis, ac præsidio hinc indè firmatis, potestati suæ subjiciendo. Sed redeuntibus quamprimùm Polonis, ferrei hi bellatores, utut ipsis auxilia multoties subministrata fuerint, in angustias conjecti prædæ partem non exiguum Mitaviæ, atq; in toto Ducatu devorata, Goldingæ, Schrundis, & Grobini revomere compellebantur. Et quamvis Duglassi fideliter dilectus, ac generosus admodum ille Heros

Arendfeldius obsidionem Arcis Grobinienſis valdè benè munitæ, ac re tormentariâ, præſidio, & annonâ ubertim inſtructæ, ad extremum uſq; pertinaciter ſuſtinere deſtinaverit, oppidulum adjacens templumq; in cineres redegerit, ac, de deditioe Arcis, interventu Contractus cujuſdam, faciendâ, à cohortibus Brandeburgicis, illuc cum apparatu tormentario advenientibus admonitus ſuperbè admodum reſponderit; nullum ſe deditiois ſignificationem, ad ultimum uſq; daturum, ſed, ſpe omni, arcem ulterius tenendi, ſublata, de dolio pulveris nutriti flammis, & aeri cum uxore ſe commiſſurum eſſe: in eâ tunc quidem opinione omnes erant, quaſi hic homo, qui tot innocentes homines, in fidelitate erga Regium Majeſtatem, & Coronam Polonicam, Ducemq; Dominum ſuum perfeverantes, nullo jure, abſq; præviâ ſententiâ judiciali rotæ imponi, ac in quatuor partes diſſecari, imò captivos Lithuanos multos glandibus tranſverberates præ foribus templi, introeuntium, ac exeuntium ſpectaculo exponi, & planè à canibus devorari fecerat) Arcem hanc fortiter deſenſurus & Illuſtriſſimæ ſuæ Ceſſitudini difficultates multas objecturus fuiſſet; Verum enim verò tormentis Brandeburgicis terreſtibus rebus ſuis deſperare cepit ſtrenuus hic miles, &, antequam ad deſtructionem palorum ventum eſſet, aut glandes, pulvere tormentario repleti, jacerentur, ac ſeriò reſageretur, vix trium dierum moram exſpectare voluit, ſed paſſionem deſiderans gratiam, veniamq; propter Deum ſolicitavit, quam etiam indignus obtinuit, & inde comitatus diſceſſit. Poſtea Sveci Arcibus omnibus, urbibusq; deſertis, Semigalliam petentes, Mitaviam, ac Bauſceburgum quaſi in latibula ad tempus ſe contulerunt, quoad altiſſimus potenti ſuo brachio eodem inde quoq; ex pulerit, miſeramq; hanc Provinciam barbarica hæc tyrannide clementiſſimè tandem liberavit. De quo nullum omninò eſt dubium; cum per Dei gratiam Duglaſſus, quo cunq; ſe modò vertat, paſſim debilitetur, & cum cohortibus jam diſſipatis ultra Dunam fugere, provinciamq; hanc, hæctenus à ſe quaſi devoratam deſerere coactus ſit, adeò ut Exercitus, duodecim militum millibus conſtans cum jactura rei tormentariæ maxima ex parte ibidem perierit, præſidia quoquo Mytavix, ac Bauſceburgi collocata magno indies numero cadant.

Adeò juſtus Deus perfidorum horum perjuria ultus eſt, eaq; ulterius in Principali & Generali Campiductore, excellentiſſimo Comite, tanquã Antefignano, ut & in fideliter ejus dilectis coryphæis, imprimis Arenfeldio, & Richtero pro facinoribus eorum egregiis, quibus nihil aliud præſti-

tere, quam ut innocentem Ducem, ejusq; Ducatum funditus everterint, templa profanaverint, & magnam eorum partem cum multis oppidis, urbibus, arcibusq; Ducalibus flammis deleverint, Sacerdotes, ministrosq; Ecclesiarum vexaverint, deprædati sint, atq; in Exilium pepulerint, tot deniq; hominum millia vitâ, bonisq; temporalibus ac æternis privaverint ulciscetur, præsertim cum jam difficillima scelerum horum excusatio in animis ac conscientia eorum fixa, & firma consistat.

Ex hisce omnibus cuivis cordato, & à partium studio alieno viro, laudatissimi Regis hujus tam Christiani, & Evangelici, adversus amicum suum, ac Evangelicæ Religionis consortem, Ducem innocentissimum, ejusq; Ducatum, per fidelem suum Ministrum intentatus Processus lucem meridiana clarius patefcit; de quo judicium saniori mundo, vindicta autem justissimo Deo iterum committitur, nullatenus dubitantes, quin Deus, qui dolosos, ac sanguinarios abominatur, verbum suum, & promissiones servaturus, imprimis autem illud, quod apud Joëlem c. 2. v. 20, & 21, legitur, tandem completurus sit: id quod multa hominum millia votis desideratissimis à Deo exposcunt.

**N**OS CHRISTINA Dei gratia Svecorum Gothorum, Vandalarumq; designata Regina, & Princeps hereditaria, Magna Princeps Finlandia, Dux Esthonia, & Carelia, nec non Ingermannia Domina &c. Notum testaturumq; facimus, quamvis indubitata spes affulgeat Regnorum Svecia, & Polonia controversiam induciarum interventu nunc suspensam, posse aliquando amabili compositione planè tolli, ac sopiri; Nos tamen incertos rerum casus, eventusq; perpendentes, considerantesq; dubiam illam sortem, quam Illustrissimus Dux Curlandia, & Sengallia Jacobus, ejusq; posteris subituri essent, si expirantibus induciis res inter inclyta hac duo regna præter expectationem iterum ad arma devolverentur Securitati, ac incolumitati illius Ducatus domus plenius prospicere cupientes, re prius cum Senaroribus Regni nostri deliberatâ Eidem Illustrissimo Duci Curlandia, Ejusq; posteris neutralitatem perpetuam, sequentibus tamen conditionibus sanctè observandis, pro Nobis, successoribusq; Nostris, ex singulari nostrâ Regiâ gratiâ indulgimus, 1. Illustrissimus Dux Curlandia cum suâ Nobilitate recedente bello Svecico-Polonico utatur fruatur Jure perpetua Neutralitatis, copiaq; militares tam Svecica, quam Polonica omni incursione hostili in territoria Ducis, ejusq; Nobilitatis, planè abstineant. 2. Quod si vero Dux Curlandia certa quadam sui territorij loca Polonis pro transitu aliquando assignaverit, eadem Svecicis quoq; copiis militaribus quovis tempore pateant. 3. Dux Curlandia, Ejusq; Nobilitas,

*bilitas, quamdiu hanc Neutralitate fruuntur, nullum servitium militare Regi, Regnoq; Poloniae, aut Magno Ducatui Lithuaniae praestent, nec ullâ ratione se moveri patiantur, ut servitii, opibus, consiliariisq; vel ipsi, vel per suos, aliosve, hostem juvent, ad infestanda ea, quae spectant ad Nos, Regnumq; Sveciae, salvâ in ceteris fide Regi, Reiq; publicae Poloniae debitâ. Si quis autem se bello immiscuerit, aut aliquid servitij militari, vel opis, vel consilij huc contulerit, is eo ipso ceciderit jure hoc Neutralitatis, nec bona ipsius, familiarè isthoc comprehendantur. 4. Praesidium militare in Castris Ducis Curlandiae sit nationis Germanicae, non vero Polonicae, aut Lithuanicae, soli q; Duci Curlandiae Sacramento addictum. 5. Commercia singulis utriusq; Regni Sveciae, & Poloniae Magniq; Ducatus Lithuaniae subditis cum Curlandiae libera, ac concessa sint, itinera quoq; peregrinantibus, viatoribus, & vendariis utriusq; partis pateant, siq; contigerit ullos gentis utriusq; in dictis Ducis territorij sibi obviari, pacatè inter se, & tranquille ibi agant, nec fas sit ad arma devenire, vel mercibus, aut pecuniâ, eorumq; negociantes spoliare. 6. Portus Curlandiae pateant, usumq; praebent classi nostrae, ceteriq; Regni Sveciae, aut subjectarum Provinciarum indigenis navigantibus tutum, ac securum, si quando contingat vel ob tempestates isthic confugere, siq; vel victualibus navigantes, vel quâcumq; aliâ re necessariâ indigerent, justo oblato pretio ejus copia fiat: Quod si navem unam, pluresve naufragium, aut jacturam mercium facere contigerit, Incola Curlandiae afflictis non noceant, aut opprimant, sed potius justo accepto laborum pretio juvent, ac erigant, mercesq; recuperatas reddant. In quorum majorem fidem, & certitudinem hoc Instrumentum Neutralitatis subscripsimus, & sigillo nostro Regio muniri jusimus. Datum Stockholmiae die 4. Junij, Anno 1647.*

L. S.

Christina

B.

**CAROLUS GUSTAVUS DEI Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; REX, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Esthoniae, Careliae, Bremae Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae, & Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae, & Wismariae: nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariae, Juliaci, Cliviae, & Montium Dux.**

**I**llustrissime Princeps Consanguineae, & amice charissime. Optassemus equidem ut major Regi Reipublicaq; Poloniae, ad Pacem perpetuam animus fuisset, utiq; nec vota hujus Regni, nec Dilectionis Vestrae, aliorumq;, qui innisi sunt, spes, & studium tentariq; toties congressus, irriti & inanes mansissent. Tamen si vero eventus communi desiderio nostro non responderit, id nihilominus nobis firmum, statutumq;

erit, ijs, qui mutuâ consensione decernentur, tractatibus, Dilectionis Vestra causam nobis habere commendatissimam, quippe & meretur Dil: V: insigni erga Nos, Regnumq; Nostrum affectû, ut Ejusdem in dictis tractatibus curam agamus. & certare cum Antecessoribus nostris Regibus Svecia, optima erga Domum Ducalem voluntate, non minus congruens instituto nostro, quam gloriosum nobis ducimus. Si vero ad arma descendere obstinatus Polonorum animus, & à Pace perpetuâ alienus Nos coegerit, hoc Dilectioni Vestra persuasum volumus, nos nullâ re defuturos, qua ad salutem, & conservationem Dilectionis Vestra, ejusdemq; Ducatus, subditorumq; spectare possit, prout etiam hanc curam Nostrò Regniq; nostri Marschallo, & eidem brevi in Livonia successuro nostro, Regniq; nostri Thesaurario demandavimus, necessarijsq; mandatis ad tractatus cum Dilectione Vestra super eâ re ineundos instruximus. Illi etiam fusus Dilectioni Vestra explicabunt, quam id Nobis cordi sit, ut qua ad emolumentum Dilectionis Vestra, totiusq; Ducalis Domus facere existimamus, omni meliori modo procurentur. Quibus finientes Dilectionem Vestram Divina tuitioni amice commendamus. Dabantur in Regia nostra Stockholmensi die 1. Junij Anno 1655.

Dilectionis Vestrae

Bonus Confanguineus, & Amicus

Carolus Gustavus.

Illustrissimo Principi, Confanguineo, & Amico nostro  
charissimo Dno. JACOBO in Livonia Cur-  
landia, & Semgallia Duci &c.

C.

PRIMUM. circa Regia Majestatis oblatam Protectionem ac Illustrissimae Celsitud: suae, Anno MDC XLVI. & XLVII, à Serenissima Potentiss: Principe ac Domina Dna. CHRISTINA (cum Titulo) Regnoq; Svecia, re prius cum Illustrissimis D. D. Senatoribus deliberatâ, suisq; successoribus concessam atq; objectam Neutra statem perpetuam, quod attinet, remittitur hoc ad castra Svecica Regia Majestati, proq; eo, ad ultimum usq; Octobr: st: vet. datur dilatio. Intra quod tempus, Illustrissima Celsitudo, ad Reg: Majestatem Plenipotentiarios suos pro continuatione ac confirmatione istius modi Neutralitatis, decenter sollicitatum, ablegabit; sub qua interea tutò conservabitur.

D.

QVOD Dilectio sua magis Reg: Majestatis boni affectûs certior esse possit, Reg: Majestas, ex parte sua, omne id, quod à Plenipotentiario Domino Comite. Magno Gabriele de la Gardie, & Barone Benedic: skjyt. sub dato Pærvol. d. 10. 20. sept. promissum est, firmiter facturam sese declarat, usq; dum de omnibus & singulis  
Domum

*Donum Ducalem concernentibus iterumq; in pleno tractari atq; pacisci poteris. E contra sperabit Regia Majestas, Dilectionem suam ea, de quibus haecenus jam est pactum, probe servaturam.*

E.

Extractum

Literarum quas ad Illustrissimum Principem Curlandiae, ejusdem Legatus  
Georg Firx, supremus Capitaneus Lubeca, die 25,  
Novembr. st.v. Anno 1657. dedit.

**Q**uæ perpetuam Neutralitatem, cum Instrumentum istius à Reginali sua Majestate Christina concessa, in authenticâ copîâ ad manus fuerit; in hoc casu nullam fore difficultatem, Comes Johan & Secretarius Guldencreutz putaverunt. Regia autem Majestas, cum valedicerem, regebat, hisce formalibus: dabo literas ad Comitem Magnum, ut Dilectionis sue Ducatus conservetur intactus. Quare porrò in scriptis agam? De ceteris Sua Majestas Illustrissima Celsitudini Principis, omnem gratiam Regiam atq; amicitiam offerebat. &c.

F.

Regiæ Majestatis, Regniq; Sveciæ constitutus Generalis pro Pedicatu,  
Gubernator Rigenfis, Consiliarius bellicus nec non  
Chyliarchus pedicura.

Simon Grundel Helmsfeld.

**P**ostquam, ad Propositionem nomine Regiæ Majestatis Sveciæ, Regis ac Domini mei clementissimi, Illustrissimo Duci Curlandiae factam, Celsitudo sua una cum Ducatus sui subditis Equestri ordinis Curlandiae ac Semigalliae ut & Districtus Piltensis Nobilibus, omnibusq; incolis, quotquot eorum, per varios inexcusabilium moliminum casus, semet ipsos non excluderunt, loco ejus, & pro istoc, quod altissime memoratæ adversantibus Regiæ Majestatis hostibus hucusque subpeditaverint pro subsistentiâ iterum altissime dictæ Regiæ Majestatis Sveciæ exercitus in certam pecuniæ summam ut & com meatum consenserint, atque ad certum tempus, nimirum ab hinc intra 4. hebdomadum spacium, 6000. Florenorum polon. similiter quoque 8000. modiorum secalis, 2000. pf. Buttyri, 600. boves, & 2000. ovium, Residua verò, nimirum 8000. modiorum hordei, 8000. Avenz, 1000. Pisi, totidemq; pultis hordeaceæ, ad primum septembris, vehumq; 2000. foeni, proximâ hyemali viâ Rigam advehere ac solvere promiserint, juxta exhiberi, supra hæc, Rescripti tenorem. Ideò ad ulteriorem ratificationem Regiæ Majestatis Sveciæ, Regis ac Domini mei clementissimi, altissime memoratæ Illustrissimæ Celsit. Suae Ducatus Curlandiae & Semigalliae ut & Districtus Piltensis Incolæ Nobiles ac Ignobiles (nisi qui ipsimet, ut dictum, per molitiones inexcusabiles sese indignos reddere) pariter & oppida municipia & pagi, hisce certificantur.

I. Quod omnes & singuli Ducatus itemque Districtus Piltensis subditi supra dicti, ab incendijs rapu & deprædationibus, atque statione militari, mancant immunes, inter quos etiam illi, qui è Polonia, Lithuania & Russia hucusq; sub eorum territorijs tuto vivere intelligendi sunt, quamdiu & isti, è Provinciis Reg. Majest.

Sve-

Sveciæ, cujuscunq; sint nominis in Ducatu atque Districtu Piltenfi degentes, æquali libertate ac securitate fruuntur. 2. Quod viarum accessus recessusq; omnium locorum esse debeant securi. 3. Quod si promissa omnia, Rigam, sumptibus suis aveverint atque ibi tradiderint, Illustrissimæ Celsitudinis Curlandia Ducatus, itemq; districtus Piltenfis prænominatus, juxta Illustr: Principis Celsitudinem inter ac Excellentissimam suam Comitis Domini Magni Gabrielis de la Gardie initam transactionem, contributionibus & Exactionibus non onerari. Itemq; 4. ab Excell. Regni Thefauraj, Comitis Magni Gabrielis de la Gardie atque ab Exercituum Ductore, Dno. Gonsiewsky Constitutus transitus servari innocuus debeant, dummodo idem præstabit hostis. Quæ singula confestim post secutum effectum cohortibus Regijs totiq; exercitui publicabuntur, atq; ad Regiæ Majestatis usque ratificationem, uti promissa, ita diligenter ac verè servabuntur. In quorum fidem, nomine Generalitatis, manu propriâ subscriptas signabam Sigillo. Rigæ, d. 19. Junij An. 1658.

L. S.

S. G. Helmsfeld.

H. Jgellstrohm Oberster und Als: Racht

L. S.

G.

Christian Krause/ Agens.

S. Reg. Majestati Sveciæ à Secretioribus, Generalis Campi Marefchallus & Consiliarius bellicus Robert Douglas, Comes in Schöningen, Baro in Schelby, hæreditarius in Zwingshemb, Dominus in Zewen, Hochhäter & Sandgarten.

CUM ad subsistentiam Exercitus Regiæ Majestatis, Domini nostri clementissimi, Celsissimus Dux Curlandiæ, ejusque Consiliarij supremi & Capitanei, pro Ducatu, ac Piltenfi districtu, totaq; Regione in pecuniæ non exiguam deniq; summam ac frumenta complacuerint. Assécuro & certifico, nomine altissime memoratæ Regiæ Majestatis. Celsitudinem Principis unâ cum Ducatu Incolis ac districtu Piltenfi nemine, præter illos, qui se ipsos ejusmodi beneficijs reddidère indignos, excepto, sub Neutralitate illis clementissime à Reg. Majestate hæctenus concessâ, ad ulteriorem ejus ratificationem usque, ab omnibus attentatis hostilibus, nempe violentis inhospitationibus, deprædationibus, contributionibus, alijsq; exactionibus securam atque immunem fore. Pro quò dicta superius sua Ducalis Celsitudo, non solum, pontem, à civitate plus minusve milliari, supra fluvium myraviensem extrui permissuram se sed ex exercitui transeunti, de necessario comæatu, & pontis structuræ præsentibus, ijsque qui ordinarias ibidem excubias agunt, provivuram pollicetur, quod ultimum verò à postremum promissa solutione decurteretur, & pontem quoties necessitas aut belli ratio id postulaverit, alium in locum transferri, concedatur. In quorum fidem hæc Excellenti sua manu propria subscriptas Sigillo suo muniri justis, In Castris, Bergefriedhofij, d. 19. Sept. Anno 1658.

L. S.

Robbert Douglas,

H.

Transitus ex parte Sveciâ instituat in Rigâ, Nevguthum, Radzivvilisky ac porro in Lithuaniam. E contra ex parte Lithuanorum è Lithuania progrediuntur Bixsam. Radzivvilisky per Walhoffium Neuguthum & sic ulterius.